



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Dispvt. CLXXII. An creatio sit productio ex nihilo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

De modo emanationis rerum à primo principio.

DEinde quæritur de Modo emanationis rerum à primo principio: qui dicitur creatio.

De qua quærentur octo.

ARTIC. I.

Verum, creare sit ex nihilo aliquid facere.

238.

2. d. 1. q. 2. ar.

2. Et po. q. 3.

ar. 1.

AD primum sic proceditur. Videtur, quod creare non sit ex nihilo aliquid facere: dicit enim Augustinus contra aduersarium legis & Prophetarum. Facere est quod omnino non erat: creare vero est ex eo, quod iam erat, educendo aliquid constituere.

2. Præterea. Nobilitas actionis & motus ex terminis consideratur. Nobilior igitur est actio, quæ ex bono in bonum est, & ex ente in ens, quam quæ est ex nihilo in aliquid. Sed creatio videtur esse nobilissima actio, & prima inter omnes actiones. Ergo non est ex nihilo in aliquid, sed magis ex ente in ens.

3. Præterea. Hæc præpositio, ex, importat habitudinem alicuius causæ & maxime materialis: sicut cum dicimus quod statua fit ex ære. Sed nihil non potest esse materia entis, nec aliquod modo causa eius. Ergo creare non est ex nihilo aliquid facere.

Beatus in hunc loc. 10. 1.

Q. præced. art. 2.

Sed contra est, quod super illud Genesis 1. In principio creauit Deus cælum, & c. dicit glossa quod creare est aliquid ex nihilo facere.

Respondetur dicendum, quod sicut supra dictum est, non solum oportet considerare emanationem alicuius entis particularis ab aliquo particulari agente, sed etiam emanationem totius entis à causa vniuersali, quæ est Deus: & hanc quidem emanationem designamus nomine creationis. Quod autem procedit secundum emanationem particularem, non præsupponitur emanationi. Sicut si generatur homo, non fuit prius homo, sed homo fit ex non homine, & album ex non albo. Vnde si consideretur emanatio totius entis vniuersalis à primo principio, impossibile est quod aliquid ens præsupponatur huic emanationi. Idem autem est nihil, quod nullum ens. Sicut igitur generatio hominis est ex non ente, quod est non homo: ita creatio quæ est emanatio totius esse est ex non ente, quod est nihil.

In corp. ar.

Ad primum ergo dicendum, quod August. æquiuoce vitur nomine creationis secundum quod creati dicuntur ea, quæ in melius reformatur, ut cum dicitur aliquis creari in Episcopum. Sic autem

ARTIC. II.

non loquimur hic de creatione, sed sicut dictum est.

Ad secundum, dicendum quod mutationes accipiunt speciem & dignitatem non à termino à quo, sed à termino ad quem. Tanto ergo perfectior & prior est aliqua mutatio, quāto terminus ad quem illius mutationis est nobilior & prior, licet terminus à quo, qui opponitur termino ad quem, sit imperfectior. Sicut generatio simpliciter est nobilior & prior quā alteratio propter hoc quod forma substantialis est nobilior, quam forma accidentalis: tamen priuatio substantialis formæ, quæ est terminus à quo in generatione, est imperfectior quam contrarium, quod est terminus à quo in alteratione. Et similiter creatio est perfectior quam generatio & alteratio, quia terminus ad quem est tota substantia rei. Id autem quod intelligitur ut terminus à quo, est simpliciter non ens.

Ad tertium dicendum, quod cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, hæc præpositio ex, non designat causam materialem, sed ordinem tantum, sicut cum dicitur, ex mane fit meridies, id est, post mane fit meridies. Sed intelligendum est quod hæc præpositio, ex, potest includere negationem importatam in hoc quod dico nihil, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, & ostenditur ordo eius quod est ad non esse præcedens. Si vero negatio includat præpositionem, tunc ordo negatur, & est sentius. Fit ex nihilo, id est, non fit ex aliquo: sicut si dicatur, iste loquitur de nihilo, qui non loquitur de aliquo. Et utroque modo verificatur cum dicitur ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo hæc præpositio, ex, importat ordinem, ut dictum est. Secundo modo importat habitudinem causæ materialis, quæ negatur.

CONCLUSIO est, Creatio, quæ est emanatio totius entis, est ex non ente, quod est nihil. Circa tertium S. Thomæ nihil aliud notandum occurrat, præter explicationem huius definitionis, ex qua multa pendent, quæ de creatione dicenda sunt: hæc autem tradetur seq. disp.

DISPUT. CLXXII.

An creatio sit productio ex nihilo.

Sententia Wilelmi. cap. 1.

Resolvitur prædicta sententia. cap. 2.

Exponitur definitio creationis. cap. 3.

CAPVT I.

Sententia Wilelmi.

Verbum creare, & notien, credit, ut patet in lent & secundum latorem significationem proprie pro eo, quod est, aliquid facere, & prelo, ac proprie pro eo, quod est de nihilo aliquid prodigere. Nam quamuis interdum in Scriptura & Sententis Patribus creatio sumatur pro renouatione, & regere.

regeneratione spirituali, ut notauit Basil. in psalm. 32. in illa verba: *ipse mandauit, & creata sunt*, & in homilia. *Quod Deus non est author malorum*, columna 3. id tamen fit quia renouatio interioris hominis, in eo genere est productio quædam de nihilo: hoc est, ex Dei misericordia, nullis propriis operibus ex nobis præcedentibus: ideoque dicitur ab Apostolo ad Ephes. 2. creati in Christo in operibus bonis: & 4. c. homo nouus secundum Deum, dicitur creatus: & ad Galat. 5. *neque circumcisis aliquid ualet, neque præputium*, sed noua creatura: hac de causa iustificatio nostra potest appellari creatio quædam moralis, non physica, & naturalis. An vero ipsa gratia infusio: aut aliorum donorum supernaturalium sit creatio, dicemus infra disp. 174. cap. 2.

De physica vero, & naturali creatione omnes Scholastici affirmant, eam esse productionem alicuius ex nihilo: tamen in explicanda hac definitione variant inter se. Primum igitur Scotus in 2. d. 1. qu. 1. §. *quantum ad istum articulum*, explicans hanc definitionem, asserit creationem esse productionem alicuius de nihilo: hoc est, non de aliquo secundum esse existentie, ac proinde non de aliquo secundum esse essentie: quia ut probatum est (ait) dist. 36. primi lib. nunquam esse essentie separatur ab esse existentie. Putat enim Scotus esse omnino idem secundum rem, ut nos fusiùs ostendemus in 3. par. S. Tho. q. 17. art. 1. & 2. Addit deinde Scotus, nullam rem creari de nihilo, hoc est, de nullo modo ente, nec simpliciter, nec secundum quid: quia omnia, quæ creantur, prius habent esse intelligibile in mente Dei, & esse volitum, quod est esse possibile rerum, & alibi ipse Scotus appellat, esse diminutū & obiectum creaturarum. Similis videtur sententia Wicleffi, quam refert Waldens. tom. 1. doctrinalis fidei antiquæ lib. 1. art. 1. c. 17. sic enim (inquit) definebat Wicleffus creationem: *est productio de puro esse intelligibili ad esse essentiale extra Deum*. Refert etiam idem Waldens. eodem lib. c. 20. Wicleffum in definitione prædicta sic explicasse: *terminum à quo creationis, ut illud non esset omnino nihil, sed esse rei ideale; eo quod dicebat ille Deum non posse in id, quod est pure nihil*. In hac sententia citat Waldens. verba illius in Trialogo 1. Si querat (inquit) *quare Deus non prohibuit hominem, ne sic peccet; est mihi facile respondere*, quod ideo, quia hoc non fuit prohibibile, cum non fuit; nec potentia Dei se extendit ad nihilum, vacuum: quibus verbis Wicleffus videtur asserere id, quod Scotus docuit, videlicet, nullam rem creari de nihilo, id est, de nullo modo ente nec simpliciter, nec secundum quid.

CAPVT II.

Refellitur prædicta sententia.

In utramque Wicleffi positionem acriter inuehitur Waldens. locis citatis: verum eum nos impugnemus, oportet explicare prius, quid vterque senserit: neque enim in omnibus errauit Wicleffus quæ Waldens. putauit. Supponendum autem primo est id, quod ex eodem Wicleffo retulimus disp. 70. c. 1. & 2. ex eius uimur sententia hanc propositionem esse veram, *creatura est Deus*, etiam sine illo additamento, secundum esse intelligibile, quam secundum verioris logicæ regulas omnino falsam esse, ibidem conuicimus. Secundo cum hæc propositio, *homo, & quævis creatura secundum*

Videtur in 1. p. tom. 2.

esse intelligibile, vel ideale est ipse Deus, in aliquo sensu possit esse vera, & in aliquo sit falsa: non satis constat, in quo sensu eam dixerit Wicleffus, ut ibidem notauimus. Tertio negari non potest, esse quoddam obiectum creaturarum secundum suas rationes formales ab æterno in Deo esse, quod Scotus, & Waldensis ipse concedunt, & diminutum esse rerum appellarunt, ut ibidem vidimus: hoc autem nihil aliud est, quam esse possibile creaturarum nondum existentium, sed obiectiue tantum præsentium intellectui diuino, & voluntati. Quarto præmittendum est id, quod disp. 104. cap. 5. ex doctrina Ferrariensis tradidimus, videlicet non ens bifariam dici, vno modo id, quod actu non existit, sed existere potest; & circa hoc versatur Dei omnipotentia, quatenus facere potest, ut id, quod non existit existat; & hoc modo dicitur non ens quasi denominatiue: altero modo dicitur non ens essentialiter, quod in sua essentia, & ratione formali non est: & hoc dicitur quidquid implicat in se contradictionem: & circa hoc non versatur omnipotentia dei, ut ibidem ex S. Thoma, & Ferrariensi obseruauimus.

Iam vero quidnam in sententia Wicleffi reprehensione dignum sit, & quam notam mereatur, facile monstrari potest: neque enim decet verum cum falso confundi; aut indiscriminatum impugnari, ut Waldensis impugnari. Primum igitur cum asserit Wicleffus, terminum à quo, non esse omnino nihil, locum habet suæ doctrinæ Scotum, ut patet ex dictis: id tamen non video qua ratione notari possit. Nam per omnino nihil intelligit vterque, ut Scotus explicauit, id, quod Ferrari. appellat non ens essentialiter, & S. Tho. supra quæst. 35. art. 3. vocauit non ens oppositum rationi entis, quod est obiectum diuinæ omnipotentie: hoc autem verissimum est. Neque enim ita Deus creat aliquid ex nihilo, ut ex eo, quod implicat contradictionem, & impossibile est, & dicitur omnino non ens, seu non ens essentialiter, aliquid faciat: quis hoc non videat in qua doctrina consentit etiam S. Thom. in eo art. ut nos loco citato notauimus. Asserit enim, circa non ens hoc modo, non versari omnipotentiam. Consentit etiam Henricus in summa, art. 2. q. 23. & 24. Quare cum dixit Wicleffus citatus à Waldensi cap. 20. *voluntaria diuina non se extendit ad nihilum, & vacuum*; non negat, posse Deum facere id, quod actu non est, & potest esse: neque negat, posse Deum implere vacuum, hoc est, locum non repletum: quis enim hoc negaret? sed tantum dicit, Deum non posse facere, ut id, quod implicat contradictionem, & est non ens essentialiter, aliquid sit: & vacuum, quod est nihil, aliquid etiam sit: id quod verissimum est. Quare testimonia Sanctorum, quæ ibi congerit Waldensis, quibus probat, Deum fecisse omnia de nihilo, non sunt contra Wicleffum: Patres enim per nihil intelligunt id, quod actu non est, sed potest esse, & existere.

Deinde, utrum est intelligibile creaturarum, quod vocant ideale, sit ipsa essentia Dei, quam Theologi dicunt ideam rerum, ut disput. 71. vidimus, an vero sit ipsum esse formale creaturarum secundum proprias rationes, obiectiue existens in intellectu, apud Wicleffum non satis perspicuum est, ut eadem disput. probauimus. Porro si per illud, esse intelligibile ipse intelligat essentia dei, quatenus habet rationem ideæ; manifeste errat

Gg 3 in fide,

in fide, cum asserit, Deum omnia produxisse ex illo esse intelligibili, ut optime reuincit Waldens. capite illo 17. citato. Sicut enim contra doctrinam Patrum, & contra rationem est, Deum ex sua substantia fecisse aliquam creaturam, quia solum filium, & Spiritum sanctum de sua substantia produxit: sic etiam manifeste errat, cum asserit, creaturam à Deo fuisse productam ex illo esse intelligibili, aut ideali, quod est ipse Deus. Sic enim omnis creatura producta esset de natura Dei, & de substantia illius: cumque Wicleffus concedat hanc propositionem, *Creatura est deus secundum esse intelligibile, vel ideale*, ut ibidem retulimus; videtur hoc priori modo accepisse, esse intelligibile creaturam, de quo dixit creaturas fuisse productas. Hoc enim modo solum dici potest cum illo additamento, *Secundum esse intelligibile, creatura est deus*, ut eo loco notauimus. Idem autem error est manifestus asserere, Deum aliquid ex substantia, aut de sua substantia creasse, quia particula, *de*, & *ex*, non denotant principium efficiens tantum, sed simul etiam principium pertinet ad constitutionem rei productæ, quando aliquid dicitur ex aliquo produci, tametsi casus ille effectiuus sine præpositione principium solum denotet efficiendi. Quid autem significet particula, *de*, quando coniungitur verbo *sum*, et, ut cum dicimus, filius est de substantia Patris, diximus, disp. 163. hoc autem sensu certum est, non fuisse Scotum locutum, cum dixisset à Deo productas fuisse non ex nihilo, hoc est, de nullo modo ente, nec simpliciter, nec secundum quid: cum prius res habuerint aliquid esse intellectum, & volitum in Deo. Nam hoc esse intelligibile non putauit Scotus esse ipsam essentiam Dei, sed essentiam creaturæ possibilem obiectiue præsentem diuino intellectui. Quare etiam si dicat, res factas esse ex illo esse intelligibili; non propterea sentit, factas esse ex ipsa substantia Dei, sicut contra Wicleffum inferebat Waldens.

Si autem Wicleffus intelligat per esse intelligibile, illud esse obiectum creatorum secundum proprias rationes, ut intelligit Scotus, & ipse Waldens, qui etiam concedit esse illud diminutum rerum, ut diximus disp. illa 70. atque hoc sensu dicat, res omnes productas à Deo non de nihilo omnino, sed de nihilo existenti, & de illo esse intelligibili, & diminuto; non errat in si dicat vero in principis Philosophia facile potest conuinci. Quoniam vel res dicitur fieri ex illo esse possibile, tanquam ex aliquo constituere, & hoc dici non potest: eo quod, esse, possibile rei non constituit rem actum existentem; sed idem omnino esse est, quod est possibile, & quod actu existit. Nā esse possibile, nihil aliud est, quam non implicare contradictionem, ut sit: hoc autem non est aliquid, ex quo constituitur res ipsa, quæ actu producitur, neque est aliquid principium illius.

Quod si dicat Wicleffus, rem fieri ex illo esse possibili & intelligibili, tanquam ex termino à quo, facilius potest impugnari: & hoc sensu eum impugnat Wald. cap. illo 17. nam quomodo Arist. 1. phys. c. 5. tex. 43. deridet philosophos, quorum opinionem reuulerat c. 4. tex. 3. afferentes, ex dulci fieri album, & ex lucido magnum; quia quamuis non album fuerit dulce, & ex non albo fiat album; tamen hoc est per accidens, & ideo non nisi per accidens ex dulci fit album; sic etiam termi-

nus à quo per se creationis erit non esse rei, esse autem possibile, & intelligibile erit terminus per accidens; sicut dulce est terminus albi, de quo absolute non est dicendum, ex illo fieri album.

Verum hoc argumentum Waldens. infirmum est. Nam quamuis ex positio, quod coniungitur per accidens negationi, quæ est terminus à quo productionis, non dicatur fieri aliquid, nisi per accidens tamen ex positio, quod per se coniungitur negationi, quæ est terminus à quo, fieri etiam dicitur aliquid; veluti arbor fit ex semine, & homo ex embryone, & album ex nigro, & sic de aliis: sic ergo dicere potest Wicleffus, illud esse intelligibile non esse per accidens coniunctum non ens, sicut dulce accidentarie coniungitur non albo, & proinde non esse eandem rationem.

Ceterum hoc argumentum Wicleffus posset refelli. Quia illud, esse diminutum seu possibile nihil aliud est, quam rem non implicare contradictionem, ut sit: hoc autem manet adhuc re ipsa producta, nec ab ea villo modo distinguitur: quare non recte dicimus, ex eo, quod non implicat esse hominem, fit homo, sicut ex semine fieri dicitur arbor: sed hoc efficitur cum producitur homo, ut homo, qui non implicat esse actu fieri: quare esse possibile non potest habere rationem termini à quo: & ita licet per se coniungatur cum negatione, ex qua fit homo, ex illo non dicitur fieri homo, vel alia res; quia id, ex quo res fit, ut terminus à quo, non manet cum re ipsa, quæ fit: de quemadmodum disput. 71. capite 2. diximus, ideam non esse conceptum obiectum rei possibili, quia est eadem omnino res, quæ fit: ita etiam multo minori ratione potest esse terminus à quo productionis eiusdem, quia est eadem res, quæ obiectiue præsens erat, & quæ actu fit. Rædægitur Ansel. in monolog. cap. 8. circa finem, postquam dixit, creationem esse productionem ex nihilo, hoc est non de aliquo, explicat quale fuerit illud nihil, & ait, vniuersa creata fuisse: quidem in mente increata Dei, sed non fuisse id, quod nunc sunt; hoc est, non habuisse existentiam, quam nunc habent. Erant tamen (inquit) aliquid, quantum ad rationem faciendi, per quam, & secundum quam fierent: non dixit, ex qua fierent, sed per quam, & secundum quam, quod proprium est ideæ, & efficientis: non ergo ita desipuit Wicleffus in eo puncto, sicut putauit Waldens.

In hac quoque parte videtur Scoti idem docuisse, quod Wicleffus: ait enim, nihil posse creati de nihilo, hoc est, de nullo modo ente nec simpliciter nec secundum quid, quia nihil creator, quod non prius habuerit esse intellectum. Quibus verbis, si vult Scotus docere, creationem esse de aliquo esse intelligibili, fallitur ut probatum est. Si autem tantum dicat, terminum à quo non esse non ens, hoc est, quid impossibile, & non ens essentialiter, verissimum est. Ceterum in eo, quod statim addit, manifeste lapsus est: ait enim, posse aliquid produci, licet non creati, de non esse simpliciter, hoc est, de non aliquo secundum esse tantum & existentiam: non dicit de impossibili, sed de non possibili: posse inquam produci, non de non possibile, sed secundum disparat. 106. b. putat namque, ut retulimus disput. 106. capite 2. res omnes per diuinum intellectum produci secundum rationem possibili, quod iam induci eo loco impugnamus. Verum si per diuinum intellectum

Arist.

intellectum res essent possibiles, vera esset doctrina Scoti.

CAPVT III.

Exponitur prædicta definitio creationis.

Superest, vt ex supradictis generatim colligamus veram expositionem definitionis, quam superius de creatione tradidimus: nam quibus productionibus peculiariter ratio creationis cōueniat, in sequentibus disputationibus dicitur.

10. Est igitur creatio productio alicuius ex nihilo, non quia nihilum sit veluti materia, aut quid pertinet ad constitutionem rei productæ: sed quia sit terminus à quo productionis; perinde autem est, rem ex nihilo, tãquam ex termino à quo, produci, atque nihil præexistere ante productionem, quod ad constitutionem illius rei quodammodo pertineat, vel quod idem est, atque rem fieri secundum se totam. Nam quando aliquid rei præcessit, & ea productione non fit, non est creatio; eo quod illa res non ex nihilo, sed ex aliquo fiat, siue illud sit forma, siue materia, res enim dicitur fieri ex omni eo, quod constituitur. Quare, si præcedat forma rei, dicitur ex illa fieri, non ex nihilo. Propterea creatio dici consuevit productio entis, in quantum ens, hoc est, secundum totam rationem eius, quod producit: & S. Th. in art. 1. huius quest. vocat emanationem totius entis vniuersalis: & ideo recte sic argumentatur. Sicut emanatio hominis secundum rationem hominis, debet esse ex non homine, sicut etiam emanatio totius entis debet esse ex non ente; quod est nihil, non ex tali non ente, vt ex non homine, quod est aliquid. Sic intelligunt prædictam definitionem Scholastici infra citandi, & colligunt ex Anselmo, c. 8. monologij, vbi illud, ex nihilo, sic explicat, hoc est, non ex aliquo.

Verum in numero circa particulam, ex, variant nonnulli, Martij, in 2. q. 1. a. 2. quarta parte articuli. Ex quo sequitur: quod æterna emanatio, & paulo inferius existimat, necessariū esse ad rationem creationis, illud nihilum duratione præcedere: ex quo inferit, simplicem emanationem æternam non posse esse creationem, ac proinde nihil à Deo ab æterno creati. Rationem huius sententiæ, qua etiam adducitur Martij, vt dicat nihil ab æterno creati posse, disputat 179. ca. 3. adducemus. Idem videtur sentire Bonau. in 2. dist. 1. ar. 3. q. 1. ex quo etiam docuit art. 1. qu. 2. nullam rem creati ab æterno potuisse.

Multo tamen probabilius est, particulam, ex, non antecessorem duratione, sed naturam, significare, vt aperte docet Scotus in 2. d. 1. q. 2. §. respondo, & fatetur debent, quotquot asserunt, potuisse aliquam creaturam ab æterno à Deo creati: tunc enim non duratione, sed natura solum procederet non esse. Nam, præterquam quod multa probabilior sententia est, posse creaturam aliquam ab æterno creati, etiam si id repugnaret alia ratione, nihilominus quod attinet ad rationem creationis, bene posset intelligi ab æterno, quāuis non prius duratione nihilum ipsum præcessisset. Sicut enim nunc intelligimus, continuam rerum conseruationem à Deo, esse veram creationem ex nihilo, non quia prius duratione, nihil præcesserit, sed quia ita secundum totū suum esse res à Deo pendet, vt ex se nihil omnino essent, si à Deo relinquerentur, sic eodem modo recte posset intelli-

CAP. III.

355

12.

gi creatio ab æterno, quæ esset productio ex nihilo.

Ceterum Durand. cum doceat, creati potuisse aliquid ab æterno, vt disp. 179. videbimus, nihilominus affirmat, creationem non esse productionem ex nihilo tanquam ex termino à quo: sic asserit in 2. dist. 1. n. 3. & 6. Reddit rationem, quia esse nequeunt duo termini in actione, quæ non habet subiectum vtrique communem, nisi uterque sit respositiua. Hoc dixit propter transubstantiationem, quæ est ex pane in Corpus Christi, in qua non est subiectum vllum commune vtrique termino. Id autem sic probat. Quoties actio habet duos terminos: alterū à quo, alterum ad quem; ita secum debent pugnare, vt terminus à quo, præcedat terminum ad quem naturam, vel durationem: nihilum autem, quod dicitur esse terminus à quo creationis, non potest præcedere esse rei creatæ durationem, nec naturam: non durationem, quia negatio durationem non habet: non naturam, quia negatio non est aliqua natura, nisi ratione subiecti, in quo est, ratione cuius præcedere potest durationem, sicut subiectum in quo est: hoc autem solum fit quoties subiectum esse commune vtrique termino: ergo terminus à quo creationis, nequit esse negatio illa omnis entis, aut nihilum. Quare particulam illam ex nihilo, positam in definitione intelligit Durand. negatiue, vt fieri ex nihilo, perinde sit atque non fieri de aliquo.

Sed quāuis vno aut alio modo intelligi possit definitio (id enim, quod fit ex nihilo tanquam ex termino à quo, non fit ex aliquo) nihilominus non est, cur negemus, ipsum nihilum esse terminum à quo creationis vel duratione præcedens, vel solum naturam: vtroque enim modo creatio esse potest. Primum quidem duratione: nam licet negatio entis non habet durationem: comparata tamen cum esse, dicitur non solariatione, sed duratione præcedere, att subiequi. Dicimus namque prius Angelus fuit nihil, aut non fuit, quam esset; & de vniuerso similiter, fuit enim tempus vel duratio, quando non erat. Præterea si vniuersum, vel Angelus an nihilaretur, diceretur re ipsa prius fuisse, quam desineret esse, & tamen nullus esset terminus communis. Sicut ergo annihilatio est de esse ad non esse, cum tamen non sit terminus communis, sic etiam esse poterit creatio de non esse ad esse. Dicimus autem, vnum aliud duratione præcedere, non quia negatio habeat in se durationem, sed quia potest esse duratio aliqua realis, qua metiamur negationem, & ipsum esse rei: & ita dicimus non esse rei ab æterno præcessisse, & postea in tempore incepisse esse post non esse.

Quis enim audeat negare, res omnes à Deo productas habuisse esse post non esse? Verum hanc antecessorem duratione, diximus esse omnino accidentariam, & extra rationem creationis, & sufficere solum antecessorem naturam, hanc autem recte nobis explicuit Scotus loco allegato, eo pacto vt nihilum rei dicatur esse prius natura re ipsa, non positine, sed priuatine, idque sufficiat, vt sit terminus à quo creationis. Nam non solum dicimus, prius naturam illud esse, quod alicui suapte natura primarie conuenit, sed etiam id, quod alicui rei ex se conuenit, nisi impediatur, dicitur prius natura ei competere, sicut materiam primæ prius natura conuenit priuatio, quam forma, non quia sint simul, vel quia reuera habeat

GG 4 semper

Durandus.

13.

Prioritas
temporis est
accidentaria
in creatione
ex nihilo.

semper priuationem; sed quia ex se nisi aliunde impediretur, priuata esset. Eodem modo cum quolibet res, si a Deo relinqueretur, ex se sola non esset, dicimus, prius natura illi conuenire non esse: quam esse, quia esse conuenit illi ab efficiente ex se autem non esset, nisi ab efficiente produceretur, & hoc satis esset, etiam si ab æterno res fuisset, ut diceretureducta de nihilo ad esse, hoc est, producta ab æterno, ut sit, quæ ex se sola ab æterno non esset. Cur autem transsubstantiatio non sit creatio, videtur quia sit ex termino a quo posttuo, hoc est, ex substantia panis, aut vini, an alia ratione, dicemus infra disp. 177. c. ult. contra vero de annihilatione dicendum est, esse definitionem alicuius rei in nihilum, ita ut terminus ad quem, sit nihil, dico autem nihil, non esse rei, quod sua natura non est coniunctum ex vi definitionis, cum aliqua entrare, si enim esset coniunctum, res non diceretur desinere in nihil, sed in aliquid. An vero ita contingat in transsubstantiatione, dicetur in suo loco.

ARTICVLVS II.

Utrum Deus possit aliquid creare.

239.
2. d. 1. q. 1. a. 2.
q. 3. a. 2. Et 2.
con. c. 6. 15. c.
16. Et po. q. 3.
arg. 16. cor.
tex 34.

AD secundum sic proceditur. Videtur, quod Deus non possit aliquid creare. Quia secundum Philosophum 1. Physicorum antiqui Philosophi acceperunt ut communem conceptionem animi, ex nihilo nihil fieri. Sed potentia Dei non se extendit ad contraria primorum principiorum: utpote quod Deus faciat, quod totum non sit maius sua parte, vel quod affirmatio & negatio sint simul vera: nam deus non potest aliquid ex nihilo facere vel creare.

2. Præterea, si creare est aliquid ex nihilo facere: ergo creari est aliquid fieri, sed omne fieri est mutari; ergo creatio est mutatio. Sed omnis mutatio est ex subiecto aliquo, ut patet per definitionem motus. Nam motus est actus existens in potentia: ergo est impossibile aliquid a Deo ex nihilo fieri.

3. Præterea. Quod factum est, necesse est aliquando fieri. Sed non potest dici quod illud, quod creatur, simul fiat & factum sit: quia in permanentibus quod sit, non est, quod autem factum est iam est: simul ergo aliquid esset & non esset. Ergo si aliquid sit, fieri eius præcedit factum esse. Sed hoc non potest esse, nisi præexistat subiectum in quo sustentetur ipsum fieri: Ergo impossibile est aliquid fieri ex nihilo.

4. Præterea. Infinitam distantiam non est pertransire. Sed infinita distantia est inter ens, & nihil. Ergo non contingit ex nihilo aliquid fieri.

Sed contra est quod dicitur Genes. 1. In principio creauit Deus cælum & terram, ubi dicit glossa, quod creare est aliquid ex nihilo facere.

Respondeo dicendum, quod non solum non est impossibile a Deo aliquid creati, sed necesse est ponere a Deo omnia creata esse, ut ex præmissis habetur. Quicumque enim facit aliquid ex aliquo, illud ex quo facit, præsupponitur actioni eius, & non producit per ipsam actionem. Sicut artifex operatur ex rebus naturalibus ut ex ligno & aëre, quæ per artis actionem non causantur, sed causantur per actionem naturæ. Sed & ipsa natura causat res naturales quantum ad formam, sed præsupponit materiam. Si ergo Deus non ageret nisi ex aliquo præsupposito, sequeretur quod illud præsuppositum non esset causatum ab ipso. Ostensum est autem supra, quod nihil potest esse in entibus quod non sit a Deo, qui est causa vniuersalis totius esse. Unde necesse est dicere quod Deus ex nihilo res in esse producit.

Ad primum ergo dicendum, quod antiqui Philosophi, sicut supra dictum est, non considerauerunt, nisi emanationem effectuum particularium a causis particularibus, quas necesse est præsupponere aliquid in sua actione. Et secundum hoc erat eorum communis opinio, ex nihilo nihil fieri. Sed tamen hoc locum non habet in prima emanatione ab vniuersali rerum principio.

Ad secundum dicendum, quod creatio non est mutatio nisi secundum modum intelligendi tantum. Nam de ratione mutationis est quod aliquid idem se habeat aliter nunc, & prius. Nam quandoque est idem actualiter se habens nunc & prius, sicut in motibus secundum quantitatem & qualitatem. Quandoque vero est idem ens in potentia tantum, sicut in mutatione secundum substantiam cuius est subiectum materia, sed in creatione, per quam producit tota substantia rerum, non potest accipi aliquid idem aliter se habens nunc & prius, nisi secundum intellectum tantum: sicut si intelligatur aliqua res prius non fuisse totaliter, & postea esse. Sed cum actio & passio cōueniant in substantia motus, & differant solum secundum habitudines diuersas, ut dicitur in 3. Physicorum, oportet quod subtracto motu non remaneant nisi diuersæ habitudines in creatante & creato. Sed quia modus significandi sequitur modum intelligendi, & actum est, creatio significatur per modum mutationis. Et propter hoc dicitur, quod creare est ex nihilo aliquid facere, quamuis facere & fieri magis in hoc conueniant, quam mutare & mutari: quia facere & fieri important habitudinem causæ ad effectum, & effectus ad causam: sed

Habetur ex
Beda super
hunc loc.

sed mutationem ex consequenti.

Ad tertium dicendum, quod in his quæ sunt sine motu, simul est fieri & factum, esse, siue talis factio sit terminus motus, sicut illuminatio, nam simul aliquid illuminatur & illuminatum est, siue non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde & formatum est. Et in his quod sit, est, cum dicitur fieri. Sed significatur ab alio esse, & prius non fuisse. Vnde cum creatio sit sine motu: simul aliquid creatur & creatum est.

Ad quartum dicendum, quod obiectio illa procedit ex falsa imaginatione ac si sit aliquid infinitum medium inter nihilum & ens. Quod patet esse falsum. Procedit autem falsa hæc imaginatio ex eo, quod creatio significatur vt quædam mutatio inter duos terminos existentis.

CONCLVSIO articuli est affirmans, & manifeste sequitur ex doctrina superioris, sicut eam optime deducit S. Doct. hac ratione: si Deus non posset creare, eo esset, quia aliquid supponeret operationi Dei, quod ab ipso Deo non fieret: hoc autem esse nequit, quia iam esset aliquid, quod Deo esset coæternum, vel ab eo non fieret; quod est contra doctrinam superius traditam: ergo Deus ita producere potest aliquid, vt illud secundum totam illius essentiam efficiat; quod est creare.

ARTICVLVS III.

Vtrum creatio sit aliquid in creatura.

AD tertium sic proceditur. Videtur quod creatio non sit aliquid in creatura. Sicut enim creatio passive accepta attribuitur creaturæ, ita creatio actiue accepta attribuitur creatori: sed creatio actiue accepta non est aliquid in creatore. Quia si sic, sequeretur quod in Deo esset aliquid temporale. Ergo creatio passive accepta non est aliquid in creatura.

2. Præterea. Nihil est medium inter creatorem & creaturam. Sed creatio significatur vt medium inter vtrumque. Non enim est creator, cum non sit æterna, neque creatura: quia oportet eadem ratione aliam ponere creationem qua ipsa crearetur, & sic infinitum. Creatio ergo non est aliquid.

3. Præterea. Si creatio est aliquid præter substantiam creatam, oportet quod sit accidens eius. Omne autem accidens est in subiecto. Ergo res creata, esset subiectum creationis, & sic idem esset subiectum creationis & terminus. Quod est impossibile, quia subiectum est prius accidenti, & conseruat accidens. Terminus autem posterius est actione & passioni, cuius est terminus: eo existente cessat actio & passio: igitur ipsa creatio non est aliqua res.

ARTIC. III.

357

Sed contra, maius est fieri aliquid secundum totam substantiam, quam secundum formam substantialem vel accidentalem. Sed generatio simpliciter vel secundum quid, qua sit aliquid secundum formam substantialem vel accidentalem, est aliquid in generato. Ergo multo magis creatio, qua sit aliquid secundum totam substantiam est aliquid in creato.

Respondeo dicendum, quod creatio ponit aliquid in creato secundum relationem tantum, quia quod creatur, non fit per motum vel mutationem. Quod enim fit per motum vel mutationem, fit ex aliquo præexistenti. Quod quidem contingit in productionibus particularibus aliquorum entium. Non autem potest hoc contingere in productione totius esse à causa vniuersali omnium entium, quæ est Deus. Vnde Deus creando producit res sine motu; subtrahendo autem motu ab actione & passione, nihil remanet nisi relatio, vt dictum est. Vnde relinquitur, quod creatio in creatura non sit nisi relatio quædam ad creatorem, vt ad principium sui esse: sicut in passione, quæ est cum motu, importatur relatio ad principium motus.

Ad primum ergo dicendum, quod creatio actiue significata significat actionem diuinam, quæ est eius essentia, cum relatione ad creaturam. Sed relatio in Deo ad creaturam non est realis, sed secundum rationem tantum. Relatio vero creaturæ ad Deum est relatio realis, vt supra dictum est, cum de diuin. no. ageretur.

Ad secundum dicendum, quod quia creatio significatur vt mutatio, sicut dictum est: mutatio autem media quodam modo est inter mouens, & motum, ideo etiam creatio significatur vt media inter creatorem & creaturam. Tamen creatio passive accepta est in creatura, & est creatura. Neque tamen oportet quod alia creatione creetur, quia relationes (cum hoc ipsum quod sunt, ad aliquid dicatur) non referuntur per aliquas alias relationes, sed per se ipsas; sicut etiam supra dictum est, cum de æqualitate personarum ageretur.

Ad tertium dicendum, quod creationis, secundum quod significatur vt mutatio, creatura est terminus. Sed secundum quod vere est relatio, creatura est eius subiectum, & prius ea in esse, sicut subiectum accidenti. Sed habet quandam rationem prioritatis ex parte obiecti, ad quod dicitur, quod est principium creaturæ. Neque tamen oportet, quod quamdiu creatura sit, dicatur creari: quia creatio importat habitudinem creaturæ.

creaturæ ad creatorem, cum quadam nouitate seu incepti one.

CONCLUSIO est, Creatio in creatura nihil aliud est quam relatio quedam ipsius ad Deum, à quo pendet; sicut in passione, quæ est motus, est relatio quedam ad principium motus. Ea vero quæ in doctrina huius articuli notatione peculiari digna sunt disp. seq. afferemus.

DISPUTATIO CLXXXIII.

Vtrum creatio sit pura relatio, an quid absolutum.

Creationem esse influxum realem & absolutum Dei in creaturas, senserunt quidam recentiores. cap. 1.

Creationem esse solum relationem creaturæ ad creatorem, vera & communis opinio fuit. cap. 2.

Relationem creatoris soluaratione à re creata distingui. c. 3.
Diluuntur argumenta prioris sententia, cap. 4.

CAPVT I.

Creationem esse influxum realem, & absolutum Dei in creaturas, senserunt quidam recentiores.

DE natura creationis superest adhuc inuestigandum, vtrum ratio productionis, quæ est in creatione nihil aliud sit quam relatio quedam; an præter relationem cōtineat aliquid absolutum. Recentiores nonnulli Theologi dixerunt, creationem quidem non esse mutationem, proprie loquendo: in quo cum omnibus Scholasticis conueniunt: quia mutatio debet habere cōmune subiectum vtrique termino quod de vno termino transeat in alium. Addunt tamen primo, aliquid absolutum esse de ratione creationis, nempe influxum realem, quo creaturæ ex tēpore emanare dicuntur à Deo. Secundo in creatura esse actionem, & passionem creationis eodem modo quo in passio dicuntur esse actio, & passio, & ab ea non tantum rem denominari creatam, sed etiā Deum creatorem, & creantem; sicut à motu existente in mobili agens dicitur mouere & agere, atque mobili moueri & pati. Tertio denique, creationem vere esse de prædicamento actionis non minus, quam est calefactio, & quævis actio, quæ est motus. Esse autem aliquid absolutum de ratione huius productionis, quod cetera consequantur, probant primo, quia vel creatio actio est velle diuinum & intelligere, quibus Deus dicitur creare; vel respectus aliquis rationis: vel influxus realis in creaturā, à quo Deus etiam creans denominatur, & qui habeat rationē actionis. Non primum: quia velle, & intelligere, in Deo sunt principia creationis: eis enim tanquam forma & virtute Deus creat: ergo non sunt ipsa actio creandi. Veluti cum Angelus voluntate mouet lapidem, voluntas illius nō est motio, & actio, sed principium agendi: at motio & actio est in re, quæ mouetur. Neque potest esse secundum: quis enim dicat, actionem in Deo, esse respectum rationis? Erit igitur tertium, scilicet influxus realis in creaturā.

Hunc autem non esse ipsam relationem creaturæ, sed quia absolutum præuium relationi secundo probant, quia relatio producti in creatura, quæ est relatio creaturæ, est posterior creaturæ: sed creatio actio, est prior creaturæ: quia est via ad illam: ergo præter relationē est aliquid aliud, quod recte dicitur influxus & est quid absolutum.

quod hac ratione tertio magis confirmant. Relatio creaturæ ad Deum, vt causam, est realis, vt omnes fatentur: ergo habet fundamentum aliquod reale ex ips, quæ Arist. assignauit 5. Metaph. 4. 15. aliud autem esse nequit, quam influxus & actionem habens absolutum: tum etiam quia creaturæ est de secundo genere: tum etiam quia vna relatio non potest esse fundamentum alterius relationis realis: debet igitur esse realis influxus absolutus. Quarto actio, & passio, vt peculiare constituent prædicamentum, non sunt relationes secundum esse, nec relationibus secundum esse essentialiter complentur: aliqui non essent in alio prædicamento quam relationis: sed creatio est in prædicamento actionis; ergo nec est relatio secundum esse, nec relatione completur.

CAPVT II.

Creationem esse solum relationem creaturæ ad creatorem vera & communis opinio fuit.

Verum ea, quæ diximus, nō sufficiunt, vt communem & antiquam Scholasticorum sententiam deseramus, qui affirmant, creationem nihil aliud esse secundum rem, præter relationem ipsam creaturæ pendens à creatore. Sic tradunt 5. Th. 2. Caiet. in præsentia ar. & alii recentiores, cum eis For. 2. cont. gent. 4. 26. & 18. Cap. in 2. dist. 1. q. 2. Ricard. 4. 1. q. 2. & 3. Dur. q. 2. nu. 19. & supponere videtur Scot. 4. 1. conuenit Greg. Arim. in 2. dist. q. 6. con. 2. 3. cū alio, creationem & conseruationem nō distinguit re creatā & cōseruata. Ratio vero est. Nam si actioni Greg. 2. deficit ratio motus & transmutationis, nihil aliud videtur superesse, quam pura relatio, nec alio modo à nobis explicari, aut etiam intelligi potest, quam conceptu solius relationis. Quod enim aduersarij asserunt, esse quendam influxum realem seu productionem, quæ est veluti via ad esse, non negamus. Ad hoc esse aliquid absolutum, vnde nam probare possunt? quinimo contra eos habemus efficacem argumentum ductum ex diuinis processibus. Nam ut dixi in notationibus ar. 1. q. 4. 1. productiones diuinarum personarum nihil aliud sunt, quam relationes ipse personarum actiue quidem in personis producentibus, passiuæ vero in personis productis, ita vt generare, non sit aliud, quam paternitas alio modo cōcepta, & generari non sit nisi filio sub diuerso conceptu, nihilominus sunt veræ productiones, habentque veram rationem influxus actiui, & passiuæ scilicet solum imperfectionibus rerum creaturarum, ergo eodem modo in creaturis potest intelligi vera ratio actionis, & passionis, atque influxus, etiam si re ipsa nō sit nisi relatio. An vero hoc genus actionis & passionis sit in prædicamento actionis & passionis, statim dicemus. De motu non disputo, an sit aliquid absolutum, præter relationem & terminum, nec enim ad nostrum institutum spectat.

Est autem discrimen inter actionem, & passionem, quæ sunt motus ex genere suo, ex vna parte, & inter actionem, & passionem, quæ ex genere suo non sunt motus, ex alia. Nam actio & passio, quæ sunt motus, sunt in passio; sed actio, quæ non est motus in agente, passio vero est in passio. Quo circa creatio actio, esset quidem in Deo creante, sicut etiam relatio creatoris, nisi alias ipse non esset capax alicuius relationis ex tēpore. At quia illam nequit recipere, creatione existente in crea-